



LIBER SECVN-

DVS DIALECTICAE DE IIS,

QVÆ AD SECVNDAM OPERA-

TIONEM INTELLECTVS PER-

TINENT.

CAPVT I.

De oratione.



DOSTQVAM de terminis, eorumque proprietatibus, ac diuisionibus, in primo libro egimus: ratio postulat: vt in hoc secundo de eorum compositione: id est: de propositione, & de illis, quæ

ad ipsam pertinent; ad secundamque intellectus operationem spectant, agatur; & quia oratio est genus ad propositionem: idem prius de illa in primo capite differimus. Oratio igitur: vt ex Aristot. lib. 1. Periherm. cap. 4. colligitur: est vox significatiua ad placitum, cuius partes separatae aliquid significant; non vt affirmatio: & negatio, sed vt dictio.

Oratio, quid sit.

Nota.

Pro cuius diffinitionis intelligentia est aduertendum: quod oratio dupliciter sumitur: prime, & secunde intentionaliter: primo modo non est aliud, quam oratio mentalis, vocalis; & scripta. Secundo modo est vna secunda intentio, vel vnum intentionale attributum per intellectum tribus prædictis; & vt sic, est vnum incomplexum, & diffinitum in hac diffinitione, cuius genus est vox: non quod oratio sit vna vox simplex: sed vna per compositionem, & complexionem: estque talis prædicatio denominatiua, & materialis, seu fundamentalis: sicut in diffinitione nominis, & verbi diximus: reliquæ particulae ponuntur loco differentia: per eas namque à terminis incomplexis distinguitur: dummodo pro vltima aduertatur: quod talis est modus partitiuus; & non distributiuus; ita quod non negat Aristot. quod aliquæ partes orationis significant: vt affirmatio: vt patet in ista: Petrus currit; & Ioannes disputat: sed vult dicere, quod cuiuslibet orationis aliquæ partes sunt significatiuæ; vt dictio: siue aliquæ sint significatiuæ: vt affirmatio, siue non: ita quod non potest esse oratio, nisi aliquæ partes sint significatiuæ; vt dictio: non tamen ne-

gando: quod aliquæ partes significant: vt affirmatio.

Oratio in communi diuiditur in perfectam; & imperfectam. Perfecta est, quæ in animo audientis generat perfectum sensum: quo, scilicet, audito, quiescit animus: de qua capitulo sequente. Oratio imperfecta est, quæ in animo audientis non generat perfectum sensum: & est duplex: alia, quæ verbo caret; quæ adhuc est triplex: vna, quæ constat partibus, quomodo cumq; congrue se habentibus: vt homo albus: & quilibet terminus complexus: omnis enim talis est oratio; licet non omnis oratio sit terminus complexus. Alia constat partibus aliquod totum distribuentibus: & est diuisio. Tertia, quæ constat partibus alicuius rei naturam explicantibus, quæ dicitur diffinitio: de quibus iam diximus.

Alia est oratio imperfecta, quæ verbo constat; tales sunt omnes orationes subiunctiui; vt cum amarem; & infinitiui modi: ac etiam nonnullæ indicatiui: pro quo pefanda sunt quatuor breuissimæ regulæ ex nostro doctissimo Titelmano lib. 3. suæ Dialecticæ cap. 3. deductæ.

Prima regula sit: omnis oratio, in qua nullum ponitur verbum expiessum, vel subintellectum, est imperfecta: vt homo bonus.

Secunda, omnis oratio, in qua ponitur relationum, qui, quæ, quod, relatiue sumptum; vel eius compositum, cum vnico tantum verbo, est imperfecta; vt Deus, qui regnat: quisque Deo seruit.

Tertia, omnis oratio, in qua ponuntur aduerbia, quæ ex vi suæ significationis includunt, quis, vel qui: qualia sunt, vbicunque, quomodo cumque; est imperfecta, vt vbicunque sis.

Quarta regula: omnis oratio, in qua ponuntur coniunctiones conditionales, seu causales; vel aduerbium suspensiuum, est imperfecta: verbi gratia, vt, si, cum, dum, quia, etsi, postquam feceris hoc: quæ omnes; vt perfectæ fiant; geminum desiderant verbum.

Diuisio orationis.

Oratio perfecta.

Oratio imperfecta.

Regulæ pro oratione imperfecta

Cap.

CAPVT II.

De propositione.

DIXIMVS capite præcedente orationem perfectam esse, quæ in animo audientis generat perfectum sensum: quia integram sententiam declarat: ita vt, ea audita, nihil ultra desideremus: quæ multiplex est: enunciatiua, seu indicatiua, quæ per omnia tempora modi indicatiui constituitur: vt Petrus est albus. Imperatiua: vt Petre fac ignem. Deprecatiua: vt miserere mei Deus. Optatiua: vt vtiqam essem bonus. Interrogatiua: vt scis ne lectionem? Vocatiua: vt Petre accede huc: ex quibus sola enunciatiua ad Logicum spectat, quæ sola est perfecta in veritate, & falsitate. significanda: quia in ea reperitur compositio intellectus: alia vero tantum sunt perfecta in aliquibus affectibus exprimendis: cum enim impero: fac ignem: nullam profero veritatem, seu falsitatem: sed tantum explico meam voluntatem: Logici autem munus est veritatem, & falsitatem indagare: quod per propositionem, seu enunciationem (pro eodem enim sumuntur) exercetur.

Propositio igitur, siue enunciatio, sic communiter à sectatoribus Petri Hispani diffinitur: est oratio verum, vel falsum significans indicando. Cæterum hæc diffinitio non potest Scotistis placere: tum quia veritas, & falsitas sunt accidentia communia respectu propositionis; potestque propositio de vera in falsam; & de falsa in veram, mutari, ipsa remanente eadem: vt docet Doct. Subt. in 1. Periherm. quæst. 3. & in 4. dist. 8. quæst. 2. lit. V. ergo significatio veritatis, seu falsitatis non potest esse de essentia propositionis. Tum etiam: quia potest dari vera propositio in re pro aliquo tempore, quæ nec sit vera, aut falsa: vt ostendit Doctor in 4. vt supra ergo.

Diffinitio propositionis.

Quare, si quidem ex Arist. tantum colligitur: quod propositio sit oratio enunciatiua, in qua veritas, vel falsitas inuenitur: & quod tradita diffinitio: potius diuisio; quam diffinitio, debeat appellari: idem propositio sic diffiniri potest: Propositio est oratio perfecta alicuius de alio: id est; vnum de alio enuntians. Vel, propositio est oratio attributionem vnus de alio significans. Considerans enim intellectus animal homini conuenire, per suum actum comparatiuum compositum, illud homini attribuit: sic dicendo homo est animal: & talem attributionem resultantem ex attributione actiua intellectus, significat propositio; seu potius est ipsa attributio, & prædicatio. Cæterum, quia per has diffinitiones solum propositio categorica diffiniri videtur; quia in hac hypothetica: Petrus currit; & Ioannes loquitur: nulla apparet attributio vnus de alio. Idem, vt omnem propositionem, tam categoricam, quam hypotheticam comprehendamus: sic tertio diffiniri valet: propositio est oratio perfecta significans vnionem Logicalem extremorum componibilium per actum compositionum intellectus, mediante ali-

qua copula, seu coniunctione: nam propositio nihil aliud videtur esse: nisi illa compositio, seu vnio extremorum, quæ mediante copula resultat inter ipsa extrema: siue talia sint termini, siue propositiones.

CAPVT III.

De multiplici propositionis diuisione.

ENUNCIATIO, seu propositio, diuiditur primo in propositionem vniam, siue vniuocam; & in propositionem plures, siue æquiuocam: vniuoca est, quæ vnum sensum habet: vt Deus est misericors: æquiuoca, vel multiplex, est, quæ plures sensus habet, & non cohærentes; vt canis est substantia: quæ licet voce vna sit; tres continet propositiones valde diuersas: videlicet: piscis est substantia: sydus est substantia: canis latrabilis est substantia.

Rursus: enunciatio vna diuiditur in simplicem, seu categoricam; & compositam, seu hypotheticam: categorica est, quæ vnum de alio enunciat; constatque subiecto, & prædicato, tanquam partibus proximis sui: vt ista: homo est animal. Pro qua sciendam, quod sicut in composito reali physico datur materia, & forma, & vniuocumque, mediante qua; ipsum compositum resultat: sic in composito intentionali, quale est propositio categorica, datur subiectum; vt materia; & prædicatum; vt forma; & datur copula; vt vnio; qua mediante, resultat compositum, quod dicitur propositio, quam cap. præcedente diffinimus in vltima diffinitione. Vnde copula in rigore non debet forma propositionis appellari: nam talis est solum prædicatum, iuxta illam regulam: talia sunt subiecta, qualia permittuntur prædicata: nisi velis dicere cum Ioanne Anglico, q. 8. super vniuersalia: quod duplex est forma in propositione: alia propria, & specialis: & est prædicatum: alia communis, & generalis, quæ omnibus propositionibus conuenit: & est copula; quæ suo nomine potest dici forma vniuocæ; seu ratio formalis vniuocæ.

Vnde subiectum est illud, de quo dicitur prædicatum: & est duplex: aliud distributionis: aliud enunciationis: subiectum distributionis est terminus communis distributus: positus à parte subiecti: vt ly, hominis, in ista: cuiuslibet hominis equus currit. Subiectum vero enunciationis est illud, de quo principaliter dicitur prædicatum: vt ly, equus in prædicta propositione; & tale subiectum enunciationis potest fieri, vel ex re æto, & obliquo: vt hominis equus currit; vel ex substantiuo; & adiectiuo: vt homo albus legit, vel si ponatur relatiuum, qui, quæ, quod; vt Petrus, qui tacet, est doctus: vbi doctum esse enunciat de eo, qui tacet.

Prædicatum est, quod de subiecto dicitur: & quia dupliciter in propositione collocatur: explicite, & implicite: idem duplex est propositio categorica de verbo substantiuo; alia de tertio adiacente, in qua prædicatum ponitur explicite: vt homo est albus: alia est de secundo adiacente, quæ sit.

Prima diuisio propositionis.

Propositio vniuoca.

Propositio æquiuoca.

Secunda diuisio propositionis.

Propositio categorica.

Nota.

Subiectum quid sit, & quomodo duplex

Prædicatum propositio de primo, & secundo adiacente, quid sit.

adiacente, in qua predicatum ponitur implici-
tate: vt homo est: in prima, verbum vni habet
solum copula: vt docet Doctor in primo Peri-
herm. quaest. 2. in secunda vero est copula ratio-
ne significati formalis: predicatum autem ratio-
ne materialis: scilicet participij inelusi. De enun-
ciatione Hypothenca postea cap. 6.

*Tertia di-
uisio propo-
sitionis.*

Rursus: enunciatio simplex diuiditur in ab-
solutam, modalem, & exponibilem: absoluta est,
in qua vnum de altero absolute, sine aliquo mo-
do addito, enunciat: vt Petrus currit: & hac
alio nomine de inesse appellatur. De modali, &
exponibili postea cap. 7. 8. & 9.

*Propositio
absoluta.*

*Quarta di-
uisio propo-
sitionis ex
parte copu-
lae.*

Rursus: propositio absoluta diuiditur ex
parte formae generalis, quae est copula, in affir-
matiuam, & negatiuam: affirmatiua est, cuius co-
pula principalis est affirmata: id est: nulla ne-
gatione affecta: vt homo est animal.

*Propositio
affirmati-
ua.*

*Propositio
negatiua.*

Propositio negatiua est, cuius copula prin-
cipalis negatur: hoc est: afficitur negatione: vt
homo non est lapis. Notanter dicitur in vtraque
diffinitione: copula principalis: nam; licet co-
pula minus principalis negetur, vel affirme-
tur: propositio non dicitur negatiua, aut affir-
matiuam: vt patet in ista, Petrus, qui non loquitur,
est prudens: quae est affirmatiua: quia copula prin-
cipalis est affirmata. Vide Doct in primo Prio-
rum quaest. 3. & nota: quod copula minus prin-
cipalis est, quae se tenet ex parte alicuius extremi,
illius rationem induens: copula vero principa-
lis est, quae connectit predicatum cum subiecto:
vt in exemplo allato apparet: & hac diuisio po-
test dici essentialis: quia per qualitates essentia-
les datur.

*Propositio
negatiua.*

Nota.

*Quinta di-
uisio propo-
sitionis ex
parte pra-
dicati.*

Rursus: propositio absoluta ex parte praedi-
cati diuiditur in veram, & falsam: & est diuisio
accidentalis: propositio vera est, in qua praedi-
catur aliquid, quod ita est a parte rei: vt homo
est animal: & negatur, quod non est: vt homo
non est lapis: ab eo enim, quod res est, vel non
est, propositio dicitur vera vel falsa.

*Propositio
vera.*

*Propositio
falsa.*

Propositio falsa est, in qua praedicatur affir-
matiuum, quod non sic se habet in re: vt homo est
equus: aut negatur, quod est ita in re: vt ho-
mo non est animal. Et nota: quod propositio de
praeterito, & de futuro, est vera; si sua de praesenti
est, vel erit vera: verbi gratia, Christus fuit na-
tus: est vera; quia aliquando fuit verum dicere:
Christus nascitur: & hac, Antichristus erit: est
vera: quia facta de praesenti aliquando erit verum
dicere: Antichristus est.

*Sexta di-
uisio propo-
sitionis ex
parte sub-
iecti.*

Rursus propositio absoluta ex parte mate-
riae, vel subiecti, vel quantitatis, quae materiam
sequitur, diuiditur in vniuersalem, particularem;
in infinitam, & singularem: secundum quod sub-
iectum quatuor modis potest capi: quam diui-
sionem sic colligit Doct. primo Priorum quaest. 4. 8.
nono dubitatur. In propositio, vel sub-
iectum est terminus discretus, & singularis: vt
in hac: Petrus est albus: & sic est propositio sin-
gularis. Aut est terminus communis: & hoc tri-
plex: aut cum signo: & hoc, vel vniuersali: si-
ue affirmatiua: vt negatiua: vt nullus homo
est animal: omnis homo est animal: & sic est pro-
positio vniuersalis: vel cum signo particulari: vt

*Propositio
singularis.*

*Propositio
vniuersa-
lis.*

aliquis homo disputat: & sic est propositio parti-
cularis, aut subiectum nullo afficitur signo: vt
homo est albus: & est propositio indistincta: quae
ita dicitur: quia, cum nullo signo afficiatur: in-
ferens est: vt particularis, vel vniuersalis, effici-
pōssit: in quo a particulari distinguitur, quae non
potest non esse particularis.

Propositio
particula-
ris.

Propositio
indistincta

Septima di-
uisio propo-
sitionis ex
parte subie-
cti, & pra-
dicati si-
mul.

Propositio
infinita.

Propositio
de coniu-
cto extre-
mo.

Ultima di-
uisio propo-
sitionis ex
parte mate-
riae remota

Materia
naturalis.

Materia
impossibi-
lis.

Materia
contingens.

Propositio
naturalis.

Propositio
impossibi-
lis.

Propositio
contingens.

Propositio
contingens

Nota.

Propositio
infinita.

Propositio
de coniu-
cto extre-
mo.

Ultima di-
uisio propo-
sitionis ex
parte mate-
riae remota

Materia
naturalis.

Materia
impossibi-
lis.

Materia
contingens.

Propositio
naturalis.

Propositio
impossibi-
lis.

Propositio
contingens.

Propositio
naturalis.

Propositio
impossibi-
lis.

negatiua vera semper est necessaria, & vera: vt
homo non est lapis.

Propositio
contingens

Propositio contingens est de materia con-
tingente: vt homo est albus in qua materia, tam
affirmatiua, quam negatiua potest contingenter
esse vera, vel falsa.

Nota.

Aduerte tamen: quod propositio indisti-
nita in materia necessaria; vel impossibili; ratio-
ne materiae, & quialet vniuersali: vt homo est
animal: & quialet huic: omnis homo est ani-
mal: & ista: homo non est lapis: huic; nullus
homo est lapis: in materia vero contingenti,
idem valet: ac particularis: vt homo est iustus;
idem dicitur: ac aliquis homo est iustus.

CAPVT IIII.

De oppositione simplicium propo-
sitionum.

HACTENVS egimus de propo-
sitionibus simplicibus absolutis secun-
dum se: nunc de illis, prout inter se
comparantur, agimus: & primo de
oppositione complexa, quae est prima habitudo
inter illas resultans: est igitur oppositio comple-
xa; siue propositio, affirmatio, & negatio
eiusdem de eodem. Vnde colligitur: vt duae pro-
positiones oppositae dicatur: quod vna debet es-
se affirmatiua; alia negatiua: & vt sint eiusdem
de eodem: id est: quod idem habeant subiectum,
& praedicatum, secundum omnimodam identi-
tatem, tam in significatione, quam in alijs Logi-
calibus proprietatibus; nempe suppositione, am-
plicatione; appellatione; eodem tempore; loco;
& parte: ita vt, si aliquid ex his in vna propo-
sitione reperitur; & non in alia: non erunt op-
positae; quod est maxime notandum: vt omnia
sophismata facile refelli possint.

Oppositio
in commu-
ni.

Oppositio
contradi-
ctoria.

Lex contra-
dictoriarum.

Oppositio haec aut datur inter propositio-
nes communes habentes quantitatem: quia sunt
de subiecto communi: aut inter propositiones
singulares: de subiecto scilicet singulari: si inter
communes, datur triplex oppositio; contradicto-
ria; contraria; & subcontraria. Oppositio con-
tradictoria est oppositio immediata duarum pro-
positionum pugnantium in quantitate, & qua-
litate. In quantitate; quia vna est vniuersalis,
alia particularis. In qualitate; quia vna est affir-
matiuam, alia negatiua: vna vera, & alia falsa: vt
omnis homo est albus: aliquis homo non est al-
bus. Vterque homo disputat: alter homo non
disputat.

Lex, seu regula contradictoriarum haec est
firmissima: quod non possunt esse simul verae,
nec simul falsae: sed si vna est vera; alia necessa-
rio debet esse falsa: quae lex innititur illi natura-
li principio: impossibile est, idem simul esse, &
non esse. In materia naturali, vniuersalis est ve-
ra: vt omnis homo est animal; particularis fal-
sa: vt aliquis homo non est animal. In materia
contingenti, vniuersalis est falsa: vt omnis ho-
mo est albus; particularis autem vera: vt aliquis
homo non est albus: ob id namque haec opposi-

tio omnium est prima, & maxima: quia in illa
nullum medium, aut conuenientiam datur.

Oppositio
contraria.

Lex contra-
dictoriarum.

Contraria est oppositio duarum propo-
sitionum vniuersalium conuenientiam in quan-
titate: quia ambae sunt vniuersales: & repugnan-
tium in qualitate: quia vna est affirmatiua, & al-
tera negatiua: vt omnis homo est albus: nullus
homo est albus.

Lex istius oppositionis est: quod in nulla
materia possunt esse simul verae: aliter enim
darentur duae contradictoriae simul verae: quod
est impossibile; patet: nam quando propositio
vniuersalis est vera: etiam particularis sub illa
contenta est vera; ergo si istae contrariae sunt
verae: omnis homo est albus: & nullus homo
est albus: etiam istae particulares sub eis conten-
tae erunt verae: aliquis homo est albus: & aliquis
homo non est albus: sed istae, omnis homo est al-
bus: & aliquis homo non est albus: & nullus
homo est albus: aliquis homo est albus: sunt co-
ntradictoriae: ergo datur duae contradictoriae simul
verae. In materia vero contingenti, possunt esse
simul falsae: haec enim est falsa: omnis homo est
albus: & similiter haec: nullus homo est albus: ra-
tio est: quia ex falsitate propositionis vniuersalis
in materia contingenti non sequitur falsitas parti-
cularis. In materia naturali, seu impossibili, vna
est vera, & alia falsa, ratione materiae: quia in ma-
teria naturali, haec est vera: omnis homo est ani-
mal rationale: & haec falsa: nullus homo est ani-
mal rationale. Similiter in impossibili, negati-
ua est semper vera: vt nullus homo est lapis: &
affirmatiua falsa: vt omnis homo est lapis: &
haec oppositio non est tanta: sicut & contradi-
ctoria.

Oppositio
subcontra-
ria.

Lex subcon-
trariarum.

Oppositio subcontraria est oppositio dua-
rum propositionum particularium in qualitate
pugnantium: ita vt vna sit affirmatiua; & alia ne-
gatiua: vt aliquis homo est albus: aliquis homo
non est albus.

Lex subcontrariarum est: quod nequeunt
esse simul, falsae: patet: nam cum particula-
ris falsa inferat vniuersalem falsam: si enim
haec particularis: aliquis homo est albus: est
falsa; etiam falsa est haec vniuersalis: omnis
homo est albus. Vnde si istae essent simul fal-
sae: aliquis homo est albus: aliquis homo non
est albus: propositiones vniuersales, sub qui-
bus continentur; nempe, omnis homo est al-
bus: & nullus homo est albus: essent simul fal-
sae: & cum haec vniuersalis: omnis homo est
albus: sit contradictoria istius: aliquis ho-
mo non est albus: & etiam ista vniuersalis: nul-
lus homo est albus: sit contradictoria huius:
aliquis homo est albus: sequitur: quod dan-
tur duae contradictoriae simul falsae. Possunt ta-
men, in materia contingenti, subcontrariae es-
se simul verae: quia, vt verae sint, fat est; quod in
aliquo singulari verificentur: in materia vero
naturali, seu impossibili, vna est vera, & alia
falsa.

Corol.

Vnde haec oppositio non est propria opposi-
tio, & in re: sed tantum quoad apparentiam, & lo-
quutionem: vt ait Arist. 2. Priorum cap. 15. tum
quia ex eodem 2. Periherm. cap. vltimo vera op-
positio

positio debet esse repugnans in veritate. Tunc etiam, quia licet una sit affirmatiua, & alia negatiua; non sunt eiusdem de eodem: nam respectu diuersorum verificantur: ut hæc est vera; aliquis homo est albus; respectu Petri albi: & hæc: aliquis homo non est albus: est vera, respectu Pauli nigri.

Propositiones indiffinitæ

Propositiones indiffinitæ eiusdem de eodem; quarum una est affirmatiua, alia negatiua, in materia contingenti: ut homo est albus: homo non est albus: æquivalent particularibus; ut in fine cap. præcedentis diximus; & sic sunt subalternæ: in materia vero naturali, aut impossibili, æquivalent vniuersalibus; & sic erunt contrariæ.

Propositiones subalternæ

Propositiones sub alternæ dicuntur, quarum una sub alia continetur; ut particularis sub vniuersali: affirmatiua sub affirmatiua; & negatiua sub negatiua: atque ad eodẽ modo opponuntur: ut ista sunt subalternæ: omnis homo est albus: aliquis homo est albus: nullus homo est albus: aliquis homo non est albus; in quibus propositio vniuersalis dicitur subalternans: id est; subie aliam continens: particularis autem subalternata: hoc est sub alia contenta, & in materia naturali, vel impossibili, aut sunt simul vera, aut simul falsa: in materia autem contingenti vniuersalis est falsa, particularis vera.

Leges subalternarum

Lex prima subalternarum est: quod ex veritate vniuersalis subalternantis, sequitur veritas particularis subalternatæ: non tamen ex falsitate illius sequitur falsitas istius: quia potest esse subalternans falsus, ut hæc: omnis homo est albus; & subalternata vera: ut aliquis homo est albus.

Secunda regula: ex falsitate subalternatæ sequitur falsitas subalternantis: non tamen ex veritate subalternatæ sequitur veritas subalternantis: ut; quia est vera, aliquis homo est albus; non sequitur: quod omnis homo sit albus.

Oppositio singularis

Propositiones singulares, cum non habeant quantitatem: solum possunt in qualitate opponi: hoc est; in affirmatione, & negatione; veritate, & falsitate: & sic inter illas solum datur oppositio contradictoria, quæ in quavis propositione reperitur: cum nulla sit, quæ suam contradictionem non habeat, per additionem, aut detractionem negationis. Vnde vni propositioni vna tantum contradictoria assignari potest: & idem dicendum de propositione, in qua est suppositio materialis; confusa; & copulata, & simplex: ut omnia elementa sunt quatuor: omnia elementa non sunt quatuor: homo est species, homo non est species.

CAPVT V.

De conuersione, & æquipollentia earundem.

Conuersio quid.

De conuersione propositionum agit Doctor in primo Priorum questionum. & ut ab eo ibidem colligitur; sic diffinitur potest: conuersio est necessa-

ria consequentia duarum propositionum per transmutationem extremorum: prædicati, scilicet, in subiectum; & subiecti in prædicatum. Quod est intelligendum, seruat eodem sensu, suppositione, ampliatione, &c. ut hæc propositio: homo est rationalis: in hanc conuertitur: rationalis est homo.

Prima propositio, quæ conuertitur in aliam, dicitur conuersa. Secunda vero, in quam conuertitur, dicitur conuertens: & conuersa ergo ad conuertentem est necessaria consequentia: ut homo est rationalis: ergo rationalis est homo: & talis consequentia formalis appellatur conuersio; desideratque ad propositionem veritatem indagandam; & ad syllogismorum reductionem. Vbi obserua: quod totum, quod est a parte vnius extremi constituitur in conuersione a parte alterius: ut hic liber est Aristotelis; aliquid ens Aristotelis est hic liber.

Conuersio hæc est duplex: vna est simplex: alia per accidens: conuersio simplex est permutatio extremorum, seruat eadem quantitatem in conuersa, & in conuertente; & conuertuntur vniuersalis negatiua: ut nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo: & e contra particularis affirmatiua: ut aliquis homo est albus: ergo aliquod album est homo.

Conuersio per accidens, seu secundam partem, est permutatio extremorum, non seruat eadem quantitatem in conuersa, & conuertente: quia vniuersalitas in particularitatem mutatur: sic conuertitur vniuersalis affirmatiua: ut omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo: quod debet intelligi; ut bene adnotat Doctor in primo Priorum quæst. 14. in consequentia formali: quia gratia materiæ potest conuerti simpliciter, quantum, scilicet, subiectum, & prædicatum sunt termini conuertibiles: & ideo sequitur, omnis homo est risibile: igitur omne risibile est homo.

Particularis negatiua: ut aliquis homo non est doctus: non conuertitur: supple in consequentia formali: ut optime docet Doctor, ut supra quæst. 15. §. quantum ad secundum. Vnde conuersio, quæ pro illa à nonnullis assignatur per contrapositionem; nempe, quando seruat eadem quantitatem, termini sunt redduntur infiniti: ut aliquis homo non est doctus: ergo aliquod non album, non est non doctum; non est propria conuersio: ut ait Doctor: quia non manent iidem termini in antecedente, & consequente: cum terminis finiti mutantur in infinitos. Vnde quædam carmina, pro conuersionibus facilius memoriæ mandandis, hic non apponimus: quia conuersionem per contrapositionem, à ratione veræ conuersionis reijcimus.

Comparantur etiam propositiones quoad æquipollentiam: est autem æquipollentia idem, ac æquivalentia inter duas propositiones vtroque extremo, & eodem ordine participantibus in quantitate, & qualitate ex varijs signis proueniens. Vnde inferunt se inuicem in consequentia formali: & hæc æquipollentia requiritur; ut facilius, & clarius veritas, seu falsitas propositionum colligatur: reperiturque inter propositiones verè oppositas, & subalternas.

Propositio conuersa.

Propositio conuertens

Conuersio simplex.

Conuersio per accidens

Conuersio per contrapositionem non est propria conuersio.

Æquipollentia.

Nota.

Pro quo notandum: negationem talis esse naturæ malignantis: quod quidquid post se inuenit, destruit; & eius oppositum ponit: vnde cadens supra signum vniuersale destruit illius vniuersalitem, & reddit illud particulare; & cadens supra particulare facit illud vniuersale; cadens supra affirmatiuum tollit eius qualitatem, & reddit negatiuum; & cadens supra negationem ponit affirmationem: vnde ista signa æquivalent: non omnis, & aliquis non: non aliquis non, & omnis: omnis non, & nullus: nullus non, & omnis: nonnullus, & aliquis: non aliquis, & nullus: non vterque, & alter non: non alter non, & vterque: vterque non, & neuter: neuter non, & vterque: non neuter, & alter: non alter, & neuter.

1. Regula.

Ex quibus prouenit: quod per variam positionem negationis quantitas propositionis mutatur; & fit alteri similis, cui antea erat opposita. Vnde dux contradictoria: ut omnis homo est albus; aliquis homo non est albus; sunt æquipollentes, seu idem significantes, & consequentes: si alteri illarum, cui volueris præponas negationem; si vniuersali; non omnis homo est albus: idem significabit; ac aliquis homo non est albus: si particulari, non aliquis homo non est albus: idem, quod vniuersalis: omnis homo est albus. Ratio est: quia negatio præposita signo in principio propositionis tollit quidquid post se inuenit, quantitatem, & qualitatem propositionis: & sic de vniuersali, & affirmatiua, reddit eam particularem, & negatiuam: & de particulari negatiua reddit illam vniuersalem affirmatiuam: atque aded duas contradictorias idem significantes.

2. Regula.

Secunda regula: dux contrariæ; ut omnis homo est iustus; nullus homo est iustus: sunt æquivalentes in significando; si subiecto vnius, cui volueris, postponas negationem: ut si dicas; omnis homo non est iustus; æquipollent huic: nullus homo est iustus: & idem de ista. Ratio est: quia contrariæ conueniunt in quantitate subiecti; & differunt in qualitate: igitur negatio postposita subiecto non mutat quantitatem: cum non agat ante se: mutat tamen qualitatem: quia cadit supra copulam: & sic de affirmatiua reddit negatiuam: & e contra; & ita sunt æquipollentes in quantitate, & qualitate: atque aded in significatione.

3. Regula.

Tertia regula: dux subalternæ; ut, omnis homo est albus: aliquis homo est albus; æquipollent, si subiecto vnius præponatur, & postponatur negatio; ut si dicas: non omnis homo non est albus; æquiualeat huic: aliquis homo est albus, & ista; non aliquis homo non est albus; æquipollent huic; omnis homo est albus. Ratio est: quia subalternæ differunt in quantitate, & conueniunt in qualitate: & supposita duplici negatione, quæ anteponitur, negat aliam; & sic remanet eadem qualitas; & mutat quantitatem: & ita remanent eiusdem quantitatis, & qualitatis.

Pro subcontrarijs nulla regula assignatur.

tursi enim in affirmatiua postponatur negatio subiecto; aut negatiua tollatur: sunt omnino eadem.

Itaque in summa: ad æquipollentiam contradictoriarum negatio est præponenda; in contrarijs postponenda; in subalternis præponenda, & postponenda, quæ omnia in isto carmine significantur.

Præ, contradict: Post, contra: Præ, postque subalter.

Æquipollentia quoque signorum, quam in notabili diximus, his carminibus continetur.

Non omnis, quidam: non omnis non, quasi nullus.

Nonnullus, quidam; sed nullus non, valet omnis.

Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.

CAPVT VI.

De propositione hypothetica.

IN secunda diuisione propositionis; ut ex cap. 3. constat: diuisa fuit propositio in simplicem, & compositam, seu hypotheticam. & hanc hucusque; ne sermonem de propositione simplici interrumpere; reseruauimus. Propositio igitur hypothetica, quæ composita, seu coniunctione vna appellari solet, est, quæ pluribus enunciationibus constat coniunctione aliqua vnitatis. Vnde illius partes proximæ, & immediatæ sunt enunciationes, quarum vna non prædicatur de alia (in quo à simplicibus differt) ut cum dicimus: sol lucet; & dies est: non enunciatur diem esse de sole: & ideo eius partes non sunt subiectum, & prædicatum; atque aded nec termini: ut in primo lib. cap. 2. diximus: forma huius propositionis est illa coniunctio connectens duas illas propositiones, ex qua sola desumenda est ratio: num affirmatiua sit, aut negatiua: nam si talis fuerit affirmatiua; tota enunciatio erit affirmatiua: etiã si alia enunciationes, ex quibus, ut partibus, componitur, negatiua sint, si vero affecta fuerit negatione: etiã si alia fuerint; affirmatiua: negatiua erit. Vnde hæc est negatiua: Petrus currit non & mouetur; & ista est affirmatiua: Petrus non currit, & loquitur.

Propositio Hypothetica diuiditur in copulatiuam; disunctiuam; & illatiuam: copulatiua est; cuius copula connectens propositiones est coniunctio, & aut alia similis: ut Petrus currit, & mouetur.

Disunctiua est, cuius copula est disunctio, vel; ut Petrus currit, vel loquitur.

Illatiua est, cuius copula est coniunctio illatiua: & est triplex, vna causalis, cuius copula causalis est; ut quia sol lucet; dies est. Alia rationalis, cuius copula est hæc nota illationis: ergo; vel igitur; ut Petrus disputat; ergo loquitur. Alia conditionalis, cuius copula est hæc particula, si; ut si sol lucet; dies est.

Hypothetica copulatiua; ut vera sit, requiritur: quod omnes sue partes sint veræ, & hinc aliqua

Copulatiua.

Disunctiua.

Illatiua.

Veritas copulatiua.